

ENARRATIO

IN PSALMUM LXIII.

Sermo ad plebem.

I. PASSIONIS sanctorum Martyrum diem hodie festum habentes, in eorum recordatione gaudeamus, recolentes quid patiebantur, et intelligentes quid intuebantur. Nunquam enim tantas tribulationes carne tolerarent, nisi magnam quietem mente conciperent. Hunc itaque Psalmum pro ipsa solemnitate curramus. Hesterno enim die multa audivit Charitas Vestra, nec hodie tamen huic festivitati negare potuimus nostram servitutem. Itaque quoniam maxime Domini passio commendatur in hoc Psalmo, nec potuerunt esse fortes Martyres, nisi intuerentur eum, qui primus passus est; nec talia sustinerent in passione, qualia ille, nisi talia sperarent in resurrectione, qualia ipse de se demonstravit: novit autem Sanctitas Vestra caput nostrum esse Dominum nostrum Jesum Christum, omnesque illi coherentes membra esse illius capitis; ejusque vocem jam habetis notissimam, quoniam non ex solo capite, sed etiam ex corpore loquitur; vocesque ejus non tantum ipsum Dominum Jesum Christum, qui jam ascendit in caelum, vel significant, vel praedicant, sed etiam ejus membra caput proprium secutura: agnoscamus hic non solum illius vocem, sed et nostram. Et nemo dicat quod hodie in tribulatione passionum non sumus. Semper enim audistis hoc, quia illis temporibus Ecclesia quasi

tota simul impellebatur, nunc autem per singulos tentatur. Alligatus est quidem diabolus, ne faciat quantum potest, ne faciat quantum vult: tamen tantum tentare sinitur, quantum expedit proficientibus. Non nobis expedit esse sine tentationibus: nec rogemus Deum ut non tentemur, sed ut non inducamur in tentationem.

II. Dicamus ergo et nos: « Exaudi, Deus, orationem » meam, dum tribulor, a timore inimici erue animam » meam¹. » Saevierunt inimici in Martyres: quid orabat ista vox corporis Christi? Hoc orabat, ut eruerentur ab inimicis, et non eos possent occidere inimici. Ergo exauditi non sunt, quia occisi sunt; et deseruit Deus contritos corde servos suos, et sperantes in se despexit? Absit. « Quis enim invocavit Dominum, et derelictus est? quis » speravit in eum, et desertus est ab eo?² » Exaudiebantur ergo, et occidebantur; et tamen ab inimicis eruebantur. Alii timentes consentiebant, et vivebant; et tamen ipsi ab inimicis absorbebantur. Occisi eruebantur, viventes absorbebantur. Inde est et illa vox gratulationis, « Forsitan vivos absorbuissent nos³. » Multi absorpti, et vivi absorpti, multi mortui absorpti. Qui putaverunt inanem esse fidem christianam, mortui absorpti sunt: qui autem scientes veritatem esse praedicationem Evangelii, Christum esse Filium Dei scientes, et hoc credentes, et hoc intus tenentes, cesserunt tamen doloribus, et idolis sacrificaverunt, vivi absorpti sunt. Illi absorpti sunt, quia mortui: illi autem quia absorpti, mortui. Non enim absorpti vivere potuerunt, quamvis vivi absorberentur. Ergo hoc orat vox Martyrum, « A timore inimici erue animam » meam: » non ut me non occidat inimicus, sed ut non timeam occidentem inimicum. Hoc orat in Psalmo impleri servus, quod modo jubebat in Evangelio Dominus.

¹ Psal. LXIII, 2. — ² Eccli. II, 11, 12. — ³ Psal. CXXIII, 3.

Quid modo jubebat Dominus? « Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere; » sed eum potius timete, qui habet potestatem et animam et corpus occidere in gehenna ignis¹. » Et repetivit: « Ita dico vobis; eum timete². » Qui sunt qui corpus occidunt? Inimici. Quid jubebat Dominus? Ne timerentur. Oretur ergo ut præstet quod jubet. « A timore » inimici erue animam meam. » Erue me a timore inimici et subde timori tuo. Non timeam eum qui corpus occidit, sed timeam eum qui habet potestatem et corpus et animam occidere in gehenna ignis. Non enim a timore volo esse immunis; sed a timore inimici liber, sub timore Domini servus.

III. « Protexisti me a conventu malignantium, a multitudine operantium iniquitatem³. » Jam ipsum caput nostrum intueamur. Multi Martyres talia passi sunt: sed nihil sic elucet quomodo caput Martyrum; ibi melius intuemur quod illi experti sunt. Protectus est a multitudine malignantium, protegente se Deo, protegente carnem suam ipso Filio et homine quem gerebat: quia Filius hominis est, et Filius Dei est; Filius Dei propter formam Dei, Filius hominis propter formam servi⁴: habens in potestate ponere animam suam, et recipere eam⁵. Quid ei potuerunt facere inimici? Occiderunt corpus, animam non occiderunt. Intendite. Parum ergo erat Domino hortari Martyres verbo, nisi firmaret exemplo. Nostis qui conventus erat malignantium Judæorum, et quæ multitudo erat operantium iniquitatem. Quam iniquitatem? Qua voluerunt occidere Dominum Jesum Christum. « Tanta » opera bona, inquit, ostendi vobis, propter quod horum me vultis occidere⁶? » Pertulit omnes infirmos eo-

¹ Matth. x, 28. — ² Luc. xii, 5. — ³ Psal. lxxii, 3. — ⁴ Philip. ii, 6, 7. — ⁵ Joan. x, 18. — ⁶ Ibid. 32.

rum, curavit omnes languidos eorum, prædicavit regnum cælorum, non tacuit vitia eorum, ut ipsa potius eis displicerent, non medicus a quo sanabantur: his omnibus curationibus ejus ingrati, tanquam multa febre phrenetici, insanientes in medicum, qui venerat curare eos, excogitaverunt consilium perdendi eum; tanquam ibi volentes probare utrum vere homo sit, qui mori possit, an aliquid super homines sit, et mori se non permittat. Verbum ipsorum agnoscimus in Sapientia Salomonis. « Morte turpissima, inquit, condemnemus eum. Interrogemus eum; » erit enim respectus in sermonibus illius: si enim vere » Filius Dei est, liberet eum¹. » Videamus ergo quid factum sit.

IV. « Quia exacuerunt tanquam gladium linguas suas². » » Filii hominum dentes eorum arma et sagittæ, et lingua » eorum gladius acutus³, » quod dicit et alius Psalmus: sic et hic: « Exacuerunt tanquam gladium linguas suas. » Non dicant Judæi: Non occidimus Christum. Etenim propterea eum dederunt judici Pilato, ut quasi ipsi a morte ejus viderentur immunes. Nam cum dixisset eis Pilatus: « Vos eum occidite; » responderunt: « Nobis non » licet occidere quemquam⁴. » Iniquitatem facinoris sui in judicem hominem refundere volebant: sed numquid Deum judicem fallebant? Quod fecit Pilatus, in eo ipso quod fecit, aliquantum particeps fuit, sed in comparatione illorum multo ipse innocentior. Institit enim quantum potuit, ut illum ex eorum manibus liberaret. Nam propterea flagellatum produxit ad eos. Non persequendo Dominum flagellavit, sed eorum furori satisfacere volens, ut vel sic jam mitescerent, et desinerent velle occidere, cum flagellatum viderent⁵, fecit et hoc. At ubi perseveraverunt,

¹ Sap. ii, 18-20. — ² Psal. lxxiii, 4. — ³ Id. lvi, 5. — ⁴ Joan. xviii, 31. — ⁵ Id. xix, 1-5.

notis illum lavisse manus, et dixisse quod ipse non fecisset, mundum se esse a morte illius¹, fecit tamen. Sed si reus quia fecit vel invitus, illi innocentes qui coëgerunt ut faceret? Nullo modo. Sed ille dixit in eum sententiam, et iussit eum crucifigi, et quasi ipse occidit; et vos, o Judæi, occidistis. Unde occidistis? Gladio linguæ: acuisistis enim linguas vestras. Et quando percussistis, nisi quando clamastis: « Crucifige, crucifige? »

V. Propterea enim non est prætermittendum, quia venit in mentem, ne forte aliquem perturbet lectio divinorum Librorum: Quidam Evangelista dicit hora sexta crucifixum Dominum², et quidam hora tertia³: nisi intelligamus, perturbamur. Et jam incipiente sexta hora dicitur Pilatus sedisse pro tribunali: et revera quando levatus est Dominus in ligno, hora sexta erat. Sed alius Evangelista intuens animum Judæorum, quia volebant se immunes videri a morte Domini, narrando eos ostendit reos, dicens Dominum hora tertia crucifixum. Considerantes autem omnem circumstantiam lectionis, quanta agi potuerint, cum apud Pilatum Dominus accusaretur, ut crucifigeretur; invenimus horam tertiam esse potuisse, quando illi clamaverunt: « Crucifige, crucifige. » Ergo verius illi tunc occiderunt, quando clamaverunt. Apparitores potestatis hora sexta crucifixerunt; prævaricatores legis hora tertia clamaverunt: quod illi manibus hora sexta, hoc illi lingua hora tertia. Rei magis isti qui clamando sæviebant, quam illi qui obtemperando administrabant. Ipsum est totum acumen Judæorum, hoc est quod pro magno quæsierunt: Occidamus, et non occidamus: sic occidamus, ut non ipsi occidisse judicemur. « Exacuerunt tanquam gladium » linguas suas. »

¹ Matth. xxvii, 24. — ² Luc. xxiii, 21. — ³ Joan. xix, 14. — 4 Marc. xv, 25.

VI. « Intenderunt arcum, rem amaram. » Arcum dicit insidias. Qui enim gladio cominus pugnat, aperte pugnat: qui sagittam mittit, fallit ut feriat. Prius enim sagitta percutit, quam venire ad vulnus prævideatur. Sed quem laterent insidiæ cordis humani? numquid et Dominum nostrum Jesum Christum: « Qui non opus habebat » ut ei testimonium quisquam perhiberet de homine? Ipse enim sciebat quid esset in homine¹, » sicut Evangelista testatur. Tamen audiamus eos, et intueamur eos quasi nesciente Domino facere quod moliuntur. « Intenderunt » arcum, rem amaram, ut sagittarent in abscondito immaculatum. Quod dixit: Intenderunt arcum, hoc est » in abscondito: » quasi fallentes insidiis. Nostis enim quibus dolis id egerint, quemadmodum Discipulum ei cohærentem pecunia corruerint, ut sibi traderetur²; quomodo falsos testes procuraverint: quibus insidiis et dolis egerint: « Ut sagittarent in abscondito immaculatum. » Magna iniquitas. Ecce de abscondito venit sagitta, quæ immaculatum ferit, qui nec tantum habebat maculæ, quantum potest pungi a sagitta. Agnus quippe immaculatus, totus immaculatus, semper immaculatus; non cui maculæ ablatae sint, sed qui maculas nullas contraxerit. Nam fecit multos immaculatos donando peccata, ipse immaculatus non habendo peccata. « Ut sagittent in » abscondito immaculatum. »

VII. « Repente sagittabunt eum, et non timebunt³. » O cor durum, occidere velle hominem qui mortuos suscitabat! « Repente: » id est, insidiosè, quasi inopinate, quasi non prævisè. Similis enim nescienti erat inter ipsos Dominus ignorantes quid nesciret, et quid sciret; imò ignorantes eum nihil nescire, et omnia scire, et ad hoc

¹ Joan. ii, 25. — ² Matth. xxvi, 14, 15. — ³ Psal. lxiii, 5.

venisse ut illi facerent quod se potestate facere arbitrabantur. « Repente sagittabunt eum, et non timebunt. »

VIII. « Obfirmaverunt sibi sermonem malignum¹. Obfirmaverunt : » facta sunt tanta miracula, non sunt moti, perstiterunt in consilio sermonis maligni. Traditus est ille iudici : trepidat iudex, et non trepidant qui iudici tradiderunt : contremiscit potestas, et non contremiscit immanitas : vult ille lavare manus, et illi inquinant linguas. Sed quare hoc? « Firmaverunt sibi sermonem malignum. » Quanta egit Pilatus, quanta ut refrenarentur? Quæ dixit? quid egit? Sed « Firmaverunt sibi sermonem malignum : Crucifige, crucifige². » Repetitio, confirmatio est sermonis maligni. Videamus quomodo « Firmaverunt sibi sermonem malignum. Regem vestrum » crucifigam? Dixerunt : Non habemus regem nisi solum « Cæsarem³. Obfirmaverunt sermonem malignum. » Offerebat ille regem Filium Dei, illi ad hominem recurrebant : digni qui illum haberent, et illum non haberent. Adhuc audi, quomodo « Firmaverunt sermonem malignum. Non » invenio aliquid in isto homine, ait iudex, quo dignus » sit morte⁴. » Et illi qui « Firmaverunt sermonem malignum. » Dixerunt : « Sanguis ejus super nos et super » filios nostros⁵. Firmaverunt sibi sermonem malignum. » Firmaverunt sermonem malignum, » non Domino, sed sibi. Quomodo enim non sibi, cum dicunt : « Super nos » et super filios nostros? » Quod ergo firmaverunt, sibi firmaverunt : quia ipsa vox est alibi : « Foderunt ante faciem meam foveam, et inciderunt in eam. » Dominum mors non occidit, sed ipse mortem : illos autem iniquitas occidit, quia noluerunt occidere iniquitatem.

IX. Prorsus, fratres, certum est, aut occidis iniquita-

¹ Psal. lxiij, 5. — ² Luc. xxiii, 21. — ³ Joan. xix, 15. — ⁴ Luc. xxiii, 14, 20 et 22. — ⁵ Matth. xxvii, 25.

tem, aut occideris ab iniquitate. Noli autem quærere occidere iniquitatem tanquam aliquid extra te. Ad te ipsum respice, vide quid tecum pugnet in te, et cave ne expugnet te : iniquitas tua, inimica tua, si interfecta non erit, ex te enim est, et anima tua adversus te rebellat, non aliud aliquid. Ex quadam parte cohæres Deo, ex quadam parte delectaris sæculo. Illud quo delectaris sæculo, pugnat adversus mentem quæ cohæret Deo. Cohæreat, cohæreat, non deficiat, non se dimittat, magnum adjutorium habet. Vincit quod in illa sibi rebellat, si perseverat in pugnando. Est peccatum in corpore tuo, sed non regnet. « Non ergo regnet, inquit, peccatum in vestro mortali » corpore, ad obaudiendum desideriis ejus¹. » Si vero non obaudieris, et si est quod suadeat, quod delectet ad malum, non obtemperando facis ut non regnet quod est, et ita fiet postea ut non sit quod erat. Quando? Cum absorbebitur mors in victoriam, cum corruptibile hoc induerit incorruptionem², ibi non erit quod tibi repugnet, non erit quod te aliud delectet nisi Deus. Ergo et isti Judæi inviderunt Domino, delectabat eos principatus. Quidam videbant sibi ab eo auferri principatum, et ex delectatione sua rebellaverunt adversus Dominum : qui si rebellassent adversus delectationem suam malam, ipsam invidentiam vincerent, nec vincerentur ab ea, et esset illis Dominus salvator, qui venerat ut sanaret. Nunc autem faverunt febrili : repugnaverunt medico : quidquid suggerebat febris, faciebant ; quidquid jubebat contra medicus, negligebant. Ergo illi magis occisi sunt, non Dominus : nam in Domino mors occisa est, in illis iniquitas vixit ; vivente autem in se iniquitate, illi mortui sunt.

X. « Narraverunt ut absconderent muscipulas ; dixerunt : » Quis videbit eas³. » Latere putabant eum quem occi-

¹ Rom. vi, 12. — ² 1 Cor. xv, 54. — ³ Psal. lxiii, 6.

debant, latere Deum. Ecce puta, homo erat Christus, sicut cæteri homines; nesciebat quid de illo cogitaretur: numquid et Deus nescit; O cor humanum, quare tibi dixisti: Quis videt me. cum ille videat qui te fecit? « Dixe- » runt: Quis videbit eas? » Videbat Deus, videbat et Christus; quia et Christus Deus. Sed quare videbatur eis non videre? Audi sequentia?

XI. « Perscrutati sunt iniquitatem, defecerunt scrutantes scrutationes¹: » id est, acerba et acuta consilia. Non tradatur per nos, sed per Discipulum suum: non occidatur a nobis, sed a iudice: totum nos faciamus et nihil fecisse videamur. Et ubi est clamor linguæ. « Crucifige, » crucifige?² » Si cæci estis, ut et surdi sitis. Simulata innocentia non est innocentia; simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas; quia et iniquitas est, et simulatio. Ibi ergo isti « Defecerunt scrutantes scrutationes. » Quanto acutius sibi excogitare videbantur, tanto magis deficiebant; quia a lumine veritatis et æquitatis in profunda consiliorum malignorum demergebantur. Habet justitia quamdam lucem suam, perfundit et illustrat animam inhærentem sibi: anima vero avertens se a luce justitiæ: quanto magis quærit quod inveniatur contra justitiam, tanto plus a luce repellitur, et in tenebrosa demergitur. Merito ergo et isti perscrutantes quod contra justum moliebantur, a justitia recedebant; et quanto a justitia recedebant, tanto plus deficiebant scrutantes scrutationes. Magnum consilium innocentiae: quando ipsum Judam poenituit quod tradidisset Christum: et projecit illis pecuniam quam dederant, illi noluerunt eam mittere in gazophylacium, et dixerunt: « Pecunia sanguinis est, non » illam mittamus in gazophylacium³. » Quid est gazophylacium? Arca Dei ubi colligebantur ea quæ ad indi-

¹ Psal. LVIII, 7. — ² Luc. XIII, 21, et Joan. XIX, 6. — ³ Matth. XXVII, 6.

gentiam servorum Dei mittebantur. O homo, cor tuum sit potius arca Dei, ubi habitent divitiæ Dei, ubi sit numerus Dei, mens tua habens imaginem imperatoris tui. Cum ergo hæc ita sint, qualis illa innocentiae simulatio fuit, pecuniam sanguinis non mittere in arcam; et ipsum sanguinem mittere in conscientiam.

XII. Sed quid eis contigit? « Defecerunt scrutantes » scrutationes. » Unde? Quia dicit, « Quis videbit eas: » id est, quia eos nemo videbat. Hoc dicebant, hoc apud se opinabantur, quod nemo eos videret. Vide quid contingat animæ malæ: Recedit a luce veritatis, et quia ipsa non videt Deum, putat se non videri a Deo. Sic et isti recedendo ierunt in tenebras, ut ipsi non viderent Deum: et dixerunt: Quis nos videt? Videbat et ille quem crucifigebant: illi deficiendo, nec illum Filium, nec Patrem videbant. Si ergo et ille videbat, quare se patiebatur teneri ab eis, occidi ab eis? Quare si videbat, voluit consilia eorum prævalere in se? Quare? Quia homo erat propter hominem, et Deus latens in homine, qui venerat nescientibus exemplum fortitudinis dare, ideo ipse sciens omnia sustinebat.

XIII. Quid enim sequitur? « Accedet homo et cor altum, et exaltabitur Deus¹. » Illi dixerunt: « Quis nos » videbit? Defecerunt scrutantes scrutationes, » consilia mala. Accessit homo ad ipsa consilia, passus est se teneri ut homo. Non enim teneretur nisi homo, aut videretur nisi homo, aut cæderetur nisi homo, aut crucifigeretur, aut moreretur nisi homo. Accessit ergo homo ad illas omnes passiones, quæ in illo nihil valerent, nisi esset homo. Sed si ille non esset homo, non liberaretur homo. « Accessit » homo et cor altum, » id est, cor secretum: objiciens aspectibus humanis hominem, servans intus Deum; celans

¹ Psal. LXIII, 8.